

riam statuit, susceptam hęc annō publicę consultatio-  
nis pręsidium. Multa sunt, quę spem nostram red-  
dunt certiozem. PETRUS enim hic denuō regens an-  
no ejus seculi tertio, paulō post in cęelum vocatus FILI-  
UM reliquit, hęc nomine, nec minüs hoc NEPOTE di-  
gnum. Nondum inter nostros omninō vivere desiit  
GODOFREDUS KAPSIUS annis abhinc sexaginta,  
cum instaret quintum Consulis regimen, denatus: Vir  
peregrinationibus, studiis, consiliis, laboribus, imō si bel-  
lorum injurię cogitentur, patiendi, sustinendi, agendi  
gratia h. e. Consulis honore celebratissimus. Tantis  
igitur meritis coronatum nunc esse verticem Tuum, tan-  
tis auspiciis excipi dignitatem Tuam, non perfunctoriē  
gratulamur.

Tibi verō, Spectatissime SELIGMANNE, cur ab-  
esse credamus omen, exiguum in se quidem, sed e-  
ventu non contemnendo probatum. Quicquid nunc  
explicantibus sese fati, undiquaque notum est, id opti-  
mus Parens meus ad patrium Gymnasium profecturus,  
vaticinio, sin minus propinquo, firmo tamen & infalli-  
bili prędixit, Te fore SENATOREM, Te fore CON-  
SULEM.

Sanē pauciora dixisse videtur, quām is augurari, vel  
ē variis virtutum floribus jam polliceri debebat. Nesci-  
vit, aut pro modestia sua proferre noluit, quęcunque jam  
pręsentibus indiciis effulgerent. Fortē credidit, vota  
nunquam esse perfectiora, quām ubi minora sperasse pu-  
det in eventu. Satis est Zittaviensibus Eum donatum,  
quo integro beneficium redundare posset ad plures, imō,  
quę nostra felicitas est, ad superiores. Crescet hoc lu-  
men, nunc quidem merito, sed ubi plenum fuerit, h. e.  
ubi decrefcere voluerit, exemplo.

Quid multis? absens intueri videor PATRES  
CONSCRIPTOS in templum ē curia procedentes.  
Tunc medium HARTIGIUM cingent, hinc Civitatis  
amor,